

X. Christi, & verè exhibeantur cum illis rebus, quæ videntur, pane & vino, his qui Sacramentum accipiunt.

4. Vtramque hanc, tum Confessionis, tum Apologiae puritatem, omni censura, variatione aut correctione longè superiorem esse, Ecclesia synodus Lutherana semper iudicavit: uti disputatione prima, cap. 3. invictè pluribus fuit demonstratum.

5. Hoc loco sufficiat unica Synodus Smalcaldensis, Anno post confessionem exhibitam septimo coacta: quæ ut in reliquis, sic in hoc etiam Articulo, nihil prorsus mutationis suscipiendum aut instituendum esse, graviter decrevit.

6. Minimè igitur ferenda, illa licentia, quæ privatâ autoritate, & nihil tale cogitante Ecclesiâ Orthodoxâ, censoriam virgulam in hoc mutando Articulo sibi decenniò demùm post, sumpsit Melanthon.

7. Quæ sanè mutatio Confessionis sive prototypi laudem, candorem, puritatem, perspicuitatem, in turpissimum & fœdissimum cothurnum immutavit.

8. Erat enim Confessionis nostræ is scopus ac finis unice propositus, ut Ecclesiæ Orthodoxæ doctrinam non à Pontificiâ tantum lue: sed Sacramentario etiam ceno quàm planissimè sejungeret.

9. Quod posterius ipse etiam Monachus à Daventria agnovit scribens: Condemnat (scilicet Confessio Protestantium in hoc Articulo) Oeco-

am-